Quelle: https://manuscripta.at/?ID=457
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

et occupare cupienti. Sonabunt enim populi in spectaculis theatralis luxuriae et amphitheatri crudelitate, et circi furoribus; sicut sonitus aquarum inundantium, quando personant voce impietatis blasphemantes, et ducunt christianos ad leones; et contra huiuscemodi sonitus illis instar maris furentibus increpabit dominus auctorem seditionis eorum, et fugabit eum a populo suo, et sicut pulvis motus in montibus qui quanto excelsior est, tanto fortius rapitur; et sicut turbo qui de terra consurgit subita tempestate fertur in sublime; ita et ille raptus a populo dei separabitur ac fugiet, nec in abyssos relegetur. Cumque dies consummationis advenerit quod unicuique pertinet tempus vespera, tunc erit tribulatio sua peccata noscentis; et in tempore matutino die videlicet resurrectionis non subsistet, quod lxx transtulerunt non erit. Sin autem non erit quid respondebunt qui diabolo dant paenitentiam, et illi quantum in se est archangelicum fastigium pollicentur. Hec est pars eorum qui vastaverunt nos, et sors diripientium nos. Hec vel populus loquitur christianus vel propheta ex persona credentis populi quod interitum sempiternum persecutores eorum habituri sint; qui exiliis carceribus bonorum proscriptionibus obpresserunt sanctos dei, et eterna supplicia possessuri sunt. Ve terre cymbalo alarum que est trans flumina ethiopie; qui mittit in mari legatos et in vasis papiri super aquas. Ite angeli veloces ad gentem divulsam et dilaceratam; ad populum horribilem post quem non est alius; ad gentem expectantem et conculcatam; cuius diripuerunt flumina terram. Omnes habitatores orbis qui moramini in terra, cum elevatum fuerit signum in montibus videbitis, et clangorem tube audietis. LXX. Ve terre navium alarum trans flumina ethiopie, que mittit in mari obsides, et epistolas byblinas super aquam. Ibunt enim nuntii leves ad gentem excelsam et peregrinum populum et pessimum; qui est trans eum. Gens absque spe et conculcata. Nunc flumina terre omnia. Sicut regio que habitatur habitabitur regio eorum, quasi signum de monte elevetur, et tube vox audiatur. Istam quoque editionem posui in prophetia obscurissima, ne quid volentibus intellegere quod scriptum est deesse de esaya videatur. Simulque vehementer ammiror eos qui fidem nostram et spem christianam arbitrantur simplicitate contentam, quia scriptum est mandatum domini lucidum inluminans oculos; ne plus nos debere querere quam ut fiant que precepta sunt. cum idcirco et omnis scriptura et prophetie speculi futurorum mysteriis involute sint, ut provocent nos ad intelligentiam. et ad illud quod in euangelio dicitur: Petite et accipietis, querite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Quia ergo iuxta hystoriam et id quod in hebraico continetur in quinto libro exposui, nunc in vii quid mihi iuxta anagogen videatur edisseram. Prudens forsitan lector inquirat, quid sibi velit in visione vel onere damasci alarum cymbalum et cetera que secuntur de vocatione gentium. Dictum est de abiectione iudeorum et electione eorum qui per apostolos crediderunt. et post ea de gentium multitudine et persecutionibus quibus maris fluctibus conparati sunt. sequebatur ut de heresibus quoque que ecclesiam vexaverunt et huc usque populantur sermo propheticus